

TABULA 121.

SANSEVIERIA FRAGRANS.

HEXANDRIA MONOGYNIA.

CHAR: ESSENT: *Cor.* infera monopetala tubo filiformi limbo 6-partito revoluto. *Stam.* limbo inserta. *Bacca* 1-sperma.

SANSEVIERIA *fragrans*: *Caulescens*, foliis lanceolatis laxis. *Thunberg*, *Aletris fragrans* *Linn. Sp. pl.* edit. *Willden.* II. p. 183.

*Aloe fragrantissima.* *Jacq. enumerat.* p. 309. *Aloe caulescens*, foliis lanceolatis amplexicaulibus. *Mill. dict.* ed. 8. n. 5. *Aloe Africana* arborescens floribus albicantibus fragrantissimis *Commel. hort. amstelod.* T. I. tab. 49. et T. II. tab. IV. n. 1. 2.

*Crescit in Guinea africæ, frigoris impatientissima atque hinc in Caldararia servanda. Non singulis sed alternis annis floret. Flores odorem spirant ambrosiacum fragrantissimum, ut integrum Caldararium odore suo impleant Guttas etiam fundunt viscias diaphanes, ad instar mellis dulces, quæ autem siccata colorem, odorem, et saporem Mannæ Calabrinæ exhibent. Folia siccata saporem paullo ad stringentem habent.* ♀.

RADIX fibrosa, longe lateque per terram diffusa.

CAUDEX quadripedalis et ultra Cylindricus, Crassitie sesquiplicari, propter foliorum deciduorum vestigia, quasi annulatus: Cortice griseo tectus.

FOLIA in summitate caudicis provenientia ante anthesin cucullum referunt, pedem et dimidium longæ, tres uncias lata, vaginantia, lanceolata, acuminata, lucida atroviridia, nervo per medium excurrente crasso.

RAMI aliquot alterni horizontaliter patentes, Capitulo conglobato florum terminati.

FLORES in Capitulis Conglobatis, tum ad caudicem sessilibus, tum in summitatibus ramorum congestis, numerosi, albi, ambrosiaci, fragrantissimi.

CALYX nullus.

COROLLA monopetala, semisextida, infera. *Tubus* filiformis Cylindraceus, basi ventricosus, erectus. *Limbus* sexpartitus reflexo patentissimas; laciniis cuneiformi-oblongis, obtusis planis, integerrimis.

NECTARIUM Conspicuum nullum.

STAMINA filamenta sex, filiformia Crassiuscula, patentia, ad basin Corollæ laciniarum inserta, earundemque fere longitudine. *Antheræ* oblongæ, utrinque obtusæ, versatiles.

PISTILLUM, *germen* ovatum trisulcatum. *Stylus* filiformis erectus, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, obtusum semitrilobum.

PERICARPIUM *Bacca* subrotunda glabra, magnitudine pisi, triloculare, mono-vel disperma.

SEMEN unicum.

*Planta juniora magnitudine Naturali.*

1. Corolla naturali magnitudine.
2. eadem aucta.
3. Dissecta.
4. Pistillum.
5. Bacca naturali magnitudine.
6. Horizontaliter secta.
7. Semen.